



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt non accusetur episcopus à criminosis. clxix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

tamen eorumque successoribus nouimus constitutum, criminationes aduersus doctores non debere suscipi, nec peregrina iudicia fieri, neque quenquam alterius iudicis, quam sui sententia debere constringi.

Vt aduersus doctorem accusationes nemo suscipiat. Cap. CLXVI.

Ex cõcil. Spalensi, cap. 3. **A**ccusationes aduersus doctorem nemo suscipiat: quia non potest humano condemnari examine, quem Deus suo iudicio reseruauit.

Ex epist. Felicis papæ Aegyptiorum episcopis missa, cap. 1. *Vt nemo episcopum apud seculares accuset. Cap. CLXVII.*

VT nemo episcopum penes seculares arbitros accuset, sed apud summos primates.

De episcopis in iudicium seculare non vocandis. Cap. CLXVIII.

Ex episto. Bonifacii papæ ad episcop. Gallia. **N**ullus episcopus, neque pro ciuili, neque pro criminali causa, apud quemuis iudicem, siue ciuilem. siue militare, producat, vel exhibeat. Magistratus enim qui hoc iubere ausus fuerit, amissione cinguli condemnatione plectetur.

Vt non accusetur episcopus à criminosis. Cap. CLXIX.

Ex episto. Felicis papæ supra dictis episcopis missa, ca. 18. **Q**uoties episcopus super certis accusatur criminibus, si tales fuerint accusatores qui iustè & canonicè recipi debeant, synodo legitima in suo tempore congregata, ab omnibus canonicè audiatur qui sunt in prouincia episcopis. Quòd si legitimi non fuerint accusatores, non fatigetur episcopus: quia sacerdotes ad sacrificandum vocari debent, non ad litigandum: nec illi qui throni Dei vocantur, prauorum hominum insidiis debent turbari, sed liberè Christo famulari.

Quòd nullus episcopus extra suam prouinciam ad iudicium inuuetur. Cap. CLXX.

Ex decre. Iulii papæ, Oriëntali. epif. missis, cap. 18. **N**ullus episcopus extra suam prouinciã ad iudicium deuocetur: sed vocato eo canonicè in loco cõgruo, tempore synodali, ab omnibus comprouincialibus episcopis audiatur: quia concordem super eum canonicamque debent proferre sententiam: quia si hoc minoribus, tam